

## PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto filio **JESU DOSADO**, Seminarii Maioris Caebuani Moderatori electo Episcopo titulo Nabalensi atque Auxiliari Archiepiscopi Caebuani, salutem et Apostolicam Benedictionem. Cum ad efficaciorē reddendam Episcoporum pastoralementem operam Apostolicae sit Sedis consuetudo auxiliares viros iis sacris Praesulibus assignare, qui egeant, visum est Nobis id genus subsidii tribui posse Venerabili fratri Nostro **Julio S.R.E. Cardinali Rosales**, Archiepiscopo Caebuano, qui petiit. Cumque te, dilecte fili, aptum admodum existimaverimus ad dictum munus suscipiendum magnaue cum diligentia explendum, ex sententia Venerabilis fratris Nostri **S.R.E. Cardinalis Praefecti Sacrae Congregationis pro Episcopis**, summa Nostra potestate te nominamus Auxillarem sacri Praesulis, quem diximus. Ne autem iusta dignitate careas, tibi etiam titulum damus episcopalis vacantis Sedis **NABALENSIS**, cum iuribus et obligationibus ad officium dignitatemque tuam pertinentibus, sic ut describuntur in Apostolicis Litteris "Ecclesiae Sanctae", a Nobis datis die VI mensis Augusti anno **MCMLXVI**. Antea autem quam episcopalem ordinationem a quolibet catholico Episcopo iuxta statutas liturgicas leges ubivis locorum accipias, tuum erit fidei catholicae professionem facere atque iusiurandum fidelitatis erga Nos et Successores Nostros dare, testequovis rectae fidei Episcopo, formulasque adhibitas ad Sacram Congregationem pro Episcopis mittere, usitato more signatas sigilloque impressas. Dum tibi denique, dilecte fili, sacerdotii summam quam accipies, in animo gratulamur, hortamur etiam ut Archiepiscopo Caebuano tuum subsidium praebeas et ad Christifidelium bonum, pro tua parte procurandum, operam et studium impiger conferas. Datum Romae, apud S. Petrum, die tricesimo primo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentisimo septuagesimo septimo, Pontificatus Nostri decimo quinto.

✠ **JOANES CARD. VILLOT**  
Secretarius Statues

**MARCELLUS ROSSETTI**, Proton. Apost.